

K. 100, 27.

X 2005130

III



M. ABRAH. GENSRreffii, P. L.
PASTORIS ET SUPERINTEN-
DENTIS FRIBERGÆ,

CARMEN SECULARE, conf. p. 883.

*Cum AUGUSTANA CONFESSIO Na-
talem celebraret Centesimum &
JUBILÆUM I.*

At

CHRISTIANUM

clo. 10. cxxx.

Reverendos, pietate & doctrina conspicuos vires,
Dominos COLLEGAS, PASTORES & DIACONOS
DIOECES: FRIBERGENSIS, Amicos & Fratres suos in
CHRISTO dilectos & honorandos ad solennem FE-
STI JUBILÆI celebrationem, 25. 26.

& 27. d. Jun. suscitans.


Friburg & Hermundaurorum, Typis Georgij Hoffmanni.



Augustus dies salve, venerabilis orbe
 Christiadum salve, quo non *augustior* ullus
 Splenduit hoc seculo, lux ô *augusta* beatum
 Sparge diem meliore coma, qua luce refulsiit
~~AUGUSTANA~~ sacrâ CONFESSIO, non nisi sacra
 Quæ gerit, & folijs sacris & semine læti
 Turgescens, & ovantibus ebria plausibus, auris
 Jubila diffundens, dio cor percutit cœstro,
 Ardua percussum secum super æthera raptat,
Augustamq; viam stringit, qua calle salubri
 Itur ad *augustum* verum stellantis Olympi,
 Triste per *angustum*. Segni mens surge veterno,
 Et veteres tabulas oculorum lumine lustra,
 Ingemina plausus, animæ prælargus, anhelet
 Quos pulmo, resona grates, nomenq; Jehovæ
 „Tolle. Decet, veteris stet ut in te gratia facti.

O *Auguste* liber, radio dignissime Solis
 Conscribi, te cara manus, manus illa LUTHERI,
 Æmula quæ PAULI, nobis dedit; ista rubentein
 Matre velut, cinxit cute, carne, colore PHILIPPI,
 Sic Ecclesiola, quæ CHRISTO tracta, volente.

Tu



„Tu succi plenus stillantis ab arbore sancta.
 „Tu capis angusto verborum multa rotatu,
 „Tu, quid sit verum falsumq; quid utile, quid non,
 „Plenius ac melius prægrandi codice dicis.
 Tu procerum manibus caluisti, ritè per aures
 Cæsar is ivisti magni, magniq; Senatus
 Imperij, lectoq; palam te voce sonora,
 Defixis oculis, animis, & corpore toto
 Auditor stupuit miratus plasmata lingvæ
 Mendacis, malè quæ fœdavit dogma LUTHERI.
 Ergò peregrinas migrare doceris in oras
 Et lingvas, ala solvi metuente levatus,
 Ocyor & milvis, & pennis ocyor Euri.
 „Sancte liber, quamvis nævo sis liber ab omni;
 „Multa tamen passus, nigri rubigine dentis
 Lives, suffusi succo loliginis atræ
 Allatrant carpuntq; tuæ præconia famæ.
 Hic agitans tumidum ventis D A V E N T I R A ventrem,
 Hic H O F F M E I S T E R U S C H R I S T I malè notus in aula,
 Squallidus & inico C O C H L E U S, F A B R I T I U S Q V E
 Dedecoris faber ipse sui, V I R V E S I U S ore
 Et calamo non vir, pistrino dignus opaco
 P I S T O R, te cuius rugosa ciconia pinsit
 A tergo, BELLUM spirans simul Arma MINASQ;,
 Et qui tam pingvi macer est H A G E R U S in arvo,
 Ac plures alij, ventorum flamine pleni,

)(2

Qua

Qua data porta ruunt, & sesquipedalia verba
 Efflantes, foliumq; tuum, folioq; notata
 Verba D E i summi nimboſo turbine perflant.
 „Sed fruſtrā. quia mortalis ſine viribus ira
 „Vana manet contra Superum ſuperiq; volumen.
 Excipiunt plauſu populi, plauſuque vehentes
 Exceptum, duplices tendunt ad ſidera palmas,
 Et grates ſolvunt pro tanto munere Jovæ.
 O auguſte liber, liber o auguſte, manebit
 Semper honos nomenq; tuum, tibi cufpide dira
 Spicula vaniloqui nihil evibrata nocebunt.
 „Quis prohibere potest Soli, ne luceat orbi?
 „Quis prohibere potest Lunæ, ne temperet orbem?
 „Et quis, ne lux ſis, & per te luceat orbis?
 „Te nemo culpat, qui Biblia laudat & ardet.
 „Te nemo laudat, qui Biblia culpat & odit.
 „Sunt, qui te timidi percellunt verbere lingvæ,
 „Cordibus in quorum pompa meliore triumphas.

Candidiore diem F R A T R E S signate lapillo,
 Quod felix faustumq; fit, hōc C E N T E S I M U S A N N U S,
 Cursibus emeritis, per tot discrimina rerum,
 Auspice, finitur, C H R I S T O, liber aureus ex quo
 AUGUSTA per B E T E R I fuit ora locutus.
 Conticuere viri, ſua protinus ora tenebant
 Intenti. C A R O L U S, C Æ S A R ſuper æthera notus,
 Auribus arrectis, devota mente, ſedebat.

Flos

Flos procerum regni pendebat ab ore legentis.
 Elector, Saxo, JOHANNES, filius ille
 JANUS FRIDRICUS, parilis pietate GEORGUS
 MARCHIO, nec non ERNESTUS, FRANCISCUS & ambo
 LÜNEBURGENSES, Princeps VVOLFGANGUS Anhaldi,
 NORIMBERGENSIS, REUTLINGENSIS QVESENATUS,
 Dulcia seclusis agitabant gaudia curis,
 Quod tandem Verum Falsum non esse probetur,
 Sanctaꝝ Relligio, nunc obsidione soluta,
 Pro se, proꝝ suis cultoribus ora resolvat,
 Cordaꝝ discussis tenebris fulgore serenet.
 Nec spe suspensos spes frustrabatur inanis.
 Nam licet indignans fremeret cum murmure magno
 Turba, tamen mollit mentes & temperat iras
 Sceptra tenens Cæsar, Procerumꝝ tremenda potestas,
 Per quorum sparsæ vibrantur pectora flammæ
 Mox sacros ignes in raptâ mente daturæ.

Audit, & irarum flagranti fluctuat æstu
 Inclemens CLEMENS, violentaꝝ fulmina torquet,
 Fulmina torta quidem, sed non habitura paventes.

Interea volat, acquirit viresꝝ volando,
 Plenaꝝ divino se flamine tollit in auras,
 Desuper & spectans subjectæ climata terræ,
 Descendit nidosꝝ suos, requiemꝝ beatam
 Invenit, & requiem donat CONFESSIO SACRA.

Non tulit hanc speciem furiata mente Papale

Agmen, & ut venti, dum miscent prælia, fundo
 Æquora salsa cient, sic illud corda potentum,
Donec MAURITIUS, caput insuperabile bello,
 Et zelo CHRISTI flagrans, incensus ab alto,
 Huic libro pacem, pacem nobisq; paravit.
Venit ad *augustum* fidei Confessio nostræ
AUGUSTO DUCE, CHRISTIANISq; regentibus, omnis
 CHRISTIANUS credens CHRISTIANE vixit in illa.
 Et nunc sub RUTA JANI fovet umbra GEORGI,
 Rodere vulnifico quam vermes dente laborant.

Hic est, cui plausu cordis salit abdita vena,
 Hic est, hic, animat qui nos ad jubila læta,
 Hic est, nobiscum qui jubila mittit ad astra.
 Jubilet omnis homo: lux hæc sibi jubila poscit,
 Clangoremq; tubæ, lituos & tympana pulsa,
 Organa templorum follis turgentia flatu,
 Tibia quos hilari dat acuta tremore, sonores,
 Panduram, blandè quæ garrula, quiq; canore
 Erranti mulcent, nervos testudinis æquos,
 Et genus omne mele, nec non, cum chromate misto
 Et Symphoniacis modulis flecentibus aures,
 „ Harmonicos sonitus. Vox aurea sidera pulset:
 „ Vox quæ non temere ludit pennata per auras,
 „ Sed precibus, votis, flammataq; laudis ab igne.
 „ Non vox sed vocis filo pendentia vota,
 „ Non clamor, sed amor, non chorda, sed intima corda

COMPLA

EX

JUBILA

„JUBILA sunt SECLI, cor amantis, in aure JEHOVÆ.

Lux ubi frugiferi JUNI VICESIMA QVINTA

Purior aureolis incendet crinibus orbem,

JUBILA suggesto MYSTÆ fundantur ab alto,

JUBILA quæ resonent; hæc, hæc sanctissima lux est,

Omine quâ fausto circumfluus Annus in annos

Centenos huxit per lucida sidera Mundi.

Lux hæc, quâ lucem vidi CONFESSIO sancta

AUGUSTÆ: celebrate diem, celebrate sequentes.

„Ut sanctè; niteant lustratis pectora fibris,

„Fumet acerra precum, vitula faciatq; labellum

„Cœlesti Regi, tenebras exosus inertes,

Hunc nobis librum cœli qui misit ab axe,

Demissum clypeo fidus protexit aheno.

Depositum sanctum tempus conservet in omne.

Hôc Deus irradiet spissa caligine mersa

Pectora, cœcutiant fudo ne lumine Solis.

Si renuent, pereant, quia tanta lubido perire.

Res Deus, in nova, collapsas Germanidos oræ

Cardine restituat converso. Limina JANÆ

Ferrea belligeri compescant munera pacis,

„Jurataq; sua CONFESSIO pace fruatur.

„Eheu peccatum! vastator acinace Turca

„Ex rapto tutus vivit, gens dedita CHRISTO

„In sua mortiferas convertit viscera dextras,

„Seq; litare putat pars maxima Religioni,

Relligio

Relligio regione sua si vera fugatur.

Cætera, quæ peragenda sacro sunt munia Festo,
 Adjuncti vos Mandati pia verba docebunt,
 Ex aula quod miserunt plaudentibus alis
METZSCHIUS, HOEADES, CÖPPELUS, STRAUCHUS & HELE-
ENSIFERI qui sunt hīcos calamusq; fidelis, (RICH.
ENSIFERI, manibus gladium, sed pectore **CHRISTUM**
 Qui fert, & puri purissima dogmata verbi.
VIVAT hic, ah **VIVAT**, **CONFESSIO** **VIVAT** in illo,
VIVAT & in nobis, benè sic vivemus in illa,
VIVET & in nobis **CHRISTUS**, qui **VITA**, per illam.
 Æternum sic cum **CHRISTO** vivemus ab illa.

Yb. 516 FINIS.



h. 100, 27.

M. ABRAH.
PASTORIS
DENT
CARMEN
*Cum August
talem cele*

Reverendos, pietat
Dominos COLLEG
DIOECES: FRIBER
CHRISTO dilecto
STI JUBIL
& 27

Friberg & Hermund

